

216

Lib. II. Cap. II.

mus, quæ sunt partes totius istius conditionalis.

7. Oratio est vel imperfecta vel perfecta.

8. Imperfecta dicitur, quæ integrum ac perfectum sensum in animo audientis non gignit, ut: Quicumque est pius & doctus. Hanc per se non curat Logicus, sed sub eâ saltem ratione quatenus est pars perfecta.

9. Perfecta dicitur, quæ in mente audientis integrum gignit sensum, estque vel enunciativa vel non enunciativa: de illâ agatur cap. seq. hæc vero etiam non est ejusdem generis: alia enim est interrogativa, alia imperativa, alia optativa, alia deprecativa: tales omnes sunt & dicuntur non enunciativæ, quia sicut enunciativa illa est, in quâ est verum vel falsum, test. Arist. l. c. §. 4. ita in hisce nec verum nec falsum datur. Unde in Logicâ non considerantur, sed Rhetoricæ & Poeticæ, teste Arist. l. c. §. 5. relinquuntur, si tamen excipiamus interrogativas, quæ in Logicis usum habent nempe in Dialecticâ. Dialectici enim est prius interrogare, deinde ex concessis à respondente argumentari seu ratiocinari, ut patet ex Aristot. in Top. & exempla suppetunt permulta in Dialogis Platonis.

CAP.